

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1884

Auteur(s) : Étienne de Blois, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Montebourg, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1136, 25 mars-1137, 15 mars]

Lieu d'émission : Bayeux

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

(Vidimus de Louis X en 1315.) [Étienne], roi d'Angleterre, confirme les biens de l'abbaye Notre-Dame de Montebourg.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Constantiensis, n° XII, col. 238-239.

Dissertation critique

Après l'arrivée du roi Étienne en Normandie et avant le 25 mars où la nouvelle année (1137) commence (CRONNE/DAVIS, *Regesta regum Anglo-Normannorum*, 1066-1154, t. 3, *Regesta Regis Stephani ac Mathildis Imperatricis ac Gaufridi et Henrici, Ducum Normannorum*, 1135-1154, n° 594, p. 218).

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum et Navarræ rex. Pietatis opus agi conspicitur, si per viros magnificos et in potestatis constitutos eminentia, sacrosanctis ecclesiis, præcipue religiosos, et personis in eis Deo servientibus favor impendatur benevolus, ac in suis iuribus et libertatibus tueantur. Supplicaverunt itaque nobis religiosi viri monachi monasterii Montis-burgi, ut quamdam chartam antiquam claræ memoriæ dudum regis Angliæ foundationis suæ continentem initia et possessiones, quam quidem chartam in diversis locis ad suorum conservationem iurium frequenter habent necessario deportare, periculose tamen propter viarum discrimina et sigilli antiqui chartæ huiusmodi confractionem verisimiliter metuendam, sub nostræ visionis testimonio et sigilli nostri munitione, in scripturam novam redigi misericorditer iuberemus. Nos igitur prædecessorum nostrorum, qui ad sanctas Dei ecclesias et maxime religiosas pie noscuntur semper egisse devotionis affectum, vestigiis inhærentes, ipsorum religiosorum precibus inclinati, dictam chartam in scripturam novam redigi mandavimus sub ejus tenore qui sequitur infra scriptus. Rex Anglorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, et omnibus filiis sanctæ ecclesiæ per Angliam et Normanniam constitutæ, salutem. Sciatis me concessisse et confirmasse Deo et ecclesiæ sanctæ Mariæ de Montis-burgo, et abbati et monachis in ea Deo servientibus, in perpetuam eleemosynam, pro anima patrum et antecessorum meorum et salute mea, et uxoris, et fratrum et filiorum meorum, et pro statu et incolumitate regni et ducatus mei omnes has subscriptas eleemosynas, quas antecessores mei et alii fideles eidem contulerunt ecclesiæ, et chartis et scriptis suis confirmaverunt, scilicet manerium de Lodres

in Dorseta, et manerium Witam in insula Vectæ, cum omnibus ei pertinentibus: in Normannia quoque decimam molendinorum Ricardi de Redvers de eadem villa, et duas partes decimæ totius terræ ipsius Ricardi in eadem villa, et terram Huberti sacerdotis, et decimam molendinorum de Beurant, et dimidiam Fulcardivillam, et dimidiam carrucatam in Escoguernevilla, et ecclesiam ejusdem villæ, et mansuram unius villani in Sebevilla, et decimam molendinorum et anguillarum de Ingellihulmo, et terram quam Willelmus de Redvers habuit in Monte-burgo, et decimam molendinorum de Gunnonvilla, et decimam molendinorum et forestæ de Fermanbruil, et decimam molendinorum de Turlavilla, et decimam vaccariarum Ricardi ipsius de Bruis, et terram quam habuit Adelis soror illius Ricardi et Ric. de Ansamilla in villa Benedicta, et terram et mercatum Montis-burgi, quam avus meus rex Willelmus eis dedit cum omnibus aisiamentis suis de lignis in foresta ad focum et clausuram suam, et pastione porcorum et pastura animalium ceterorum, et in foresta de Bruis materiem ad ecclesiam et ad omnia ædificia sua, et unam mansuram apud Barbatum-fluctum et Maisnillum sancti Cyrici usque ad medium Fluvii villæ, cum ecclesia, et terram Ranulphi de Scomescon quæ est in Coères, et etiam mansuras terræ in Sortoevilla, et terram Roseæ, et terram Carrucæ in eadem villa, quam tenet filius Mascherel, et triginta acras in Joganvilla, et terram carrucæ in Amundevilla, et dimidium moles de Altivilla, et decimam de Gandinvilla, et decimam de Gatevilla de terra Broc, et terram de Fulcardivilla quam Rog. de Magnavilla eis dedit, et ecclesiam de Morfarvilla cum feria et terris, et decimis, et omnibus ad eam pertinentibus, quam Sanson de Morfarvilla eis dedit concessu Roberti de Novoburgo et fratrum ejus, et partem ecclesiæ Gattevillæ quam eis dedit Walterus Broc concessu comitis Ranulphi. Et ut hæc omnia superscripta, cum omnibus libertatibus et quietationibus suis, cum quibus ab antecessoribus meis et aliis fidelibus data sunt illi ecclesiæ, quietata et inconcussa in sempiternum remaneant, sicut chartæ regum et aliorum patronorum suorum testantur, regia hoc auctoritate confirmo, et sigilli mei impressione et subscriptorum testimonio, etc. Apud Bajoc. anno Incarnationis Dominicæ M. CXXXVI, regni vero mei secundo. Per hanc autem renovationem nolumus neque intendimus eisdem religiosis adversus quemcumque in proprietate vel possessione quomodolibet jus novum acquiri, nobisve aut nostris successoribus, seu personis quibuslibet aliquod præjudicium generari. In cujus rei testimonium præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Vicens anno Domini millesimo et trecentesimo quinto decimo, mense Junii.